

Dn
42

Doubl.
HISTORIAM
LINGUÆ SCLAVONICÆ

CONTINUATIONE QUINTA SIVE CAPITE SEXTO,

DE

3
2
LINGUA
POLONICA

FINIT ET SIMUL
AD ORATIUNCULAS
DIE NATALI GYMNASII BER-
LINENSIS CLXII

A JUVENTUTE SCHOLASTICA HABENDAS

HORA NONA SQ.

VII. DECEMBR. ANN. MDCCXXXVI.

REI SCHOLASTICÆ NOSTRÆ

PATRONOS ET FAUTORES

EA QUA PAR EST OBSERVANTIA

INVITAT

JOHANN. LEONHARD. FRISCH

1910
RECTOR.

BEROLINI, apud CRISTOPH. GOTTLIEB NICOLAI. 1736.

MISTORIAM

LIBRARIUS

CONTINENTIA

LIBRARIUS

LIBRARIUS

Ex
Biblioth. Regia
Berolinensi.

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS





In filiarum linguæ Slavonicæ numero, quarum historiam in usum Scholarum Marchiæ Brandenburgicæ conscribendam suscepi, Polonica lingua alium locum, quam hic ultimum, habere debuisset; sed averterunt calamum aliquæ difficultates, potissimum amplitudo ejus. Per eas igitur dialectos, quæ mihi faciliores erant, tanquam per gradus ad hanc ascendere coactus sum. Deinde, quemadmodum is, qui historiam filiarum Latinæ Linguæ conscribere vellet, non recta via procederet, si Gallicam Linguam priori loco poneret, nam Italica primogenita Latinæ est: Ita in Bohemica plura matris lineamenta inveni, quam in Polonica.

De Gentis Polonicæ origine disputant docti, & adhuc sub judice lis est. Celeb. Lengnich (a) Polonos e Colchide deducit. Deducant alii totam nationem Slavonicam

A 2

nicam

(a) Doct. & P. P. Gedanensis in Dissert. de Polonorum Majoribus. An. 1732.

nicam, incolasque omnium regnorum, ubi posteritas ejus
 superest, non tantum e Colchide Veteri, quæ Persis pa-
 ruit, sed & ex aliis orientalis plagæ terris, sententiæ eo-
 rum non repugno. Vestigia enim hujus migrationis
 ex oriente, non tantum in genere apud Sclavonicas gen-
 tes, sed in specie apud Polonos invenio. Exempli causa
 (I) *in pronuntiatione literæ (r)*, quæ Polonis sibilat, viget mi-
 hi hebraicum Resch, quod omnium Hebraicæ linguae
 Grammaticorum consensu inter dentales sive sibilantes
 est. (II) *In Sibilantium qualitate & quantitate* nulla aliarum
 Europæ linguarum manifestiorem cum hebraica lin-
 gua affinitatem habet, quam Sclavonica, & imprimis
 Polonica. Numero vero dentalium hebraicam etiam
 superat. Hæc enim quinque, illa septem numerat. Et
 si quis Hebraicum, addere vellet, quod a Iudæis cum si-
 bulo pronuntiat, addent Poloni suum *rz*.

Sibilantes sunt

Polonicum	Russicum	Germanica pronuntiatione
c five c	tsi	z ante omnes vocales & quasdam consonantes.
f	flowo	f fortius sibilans, ut ff.
z	femla	f lenius.
z	schiviet	g Gallicum ante (e) & (i) sive sch lenius.
cz	tscherf	tsh, sive c Italicum ante (e) & (i) aut ch Anglicum.
sz	scha	sch fortius.
szcz	schtscha	schtsch

Præ-

Præterea (III) Hebræi duo puncta habent, quæ scheva vocant, iisque sonum vocalis rapidissimum indicant. Russi idem scheva, aut mobile aut immobile, ad latus omnis consonantis finalis, utrumque proprio caractere expressum habent. Poloni quidem scheva mutum peculiari caractere non exprimunt, mobile vero lineola in ver-

tice indicant in literis *č, n, p, s, z.* IV. *In Vocabulorum quorundam affinitate* in Pronuntiatione & significatione. e. c. Just. l. c. 4. dicit. Nutrici Cyri Spacos nomen fuit, quia Canem Persæ sic vocant. Huic voci affinis est vox Sclavonica Sabaka quæ etiam canem foeminam significat. Assyrii, inquit Herodotus in Clio: Mylittam Venerem appellant. Sclavonica Lingua habet radicem *mily* amans, cum multis derivatis, quæ in Assyriaca Mylitta eandem amoris significationem habet.

V. *In rituum quorundam convenientia.* Idem Herodotus, ibidem narrat, Babylonios cujusque pagi virgines nobiles in uno loco congregare & juvenibus eodem tempore convenientibus in matrimonium dare, additque, Antiquissimus Auctor: Audio Enetos, qui sunt ex Illyriis eodem instituto uti., Eneti hi, & Illyrii Sclavonicæ nationis sunt, & in Hungaria superiori, ubi hi Eneti in agris maxima incolarum pars est, eandem consuetudinem adhuc vigere, mihi in his terris aliquandiu commoranti testes fide digni narraverunt.

Invenitur in Lingua Sclavonica certus consonantium concursus, quem Germanorum quidam difficillimum vocant & secundum quorundam pronuntiationem, impossibilem, eorum scilicet qui in tardiore Dialecto sua ad omnes consonantes mutas & liquidas vocalem (e) adglutinant, Bohemi hanc difficultatem cumulant nam monosyllaba quaedam sua vocali plane privant. Exempli causa scribunt Smrt & hanc vocem lectori peregrino mortuam tradunt, anima enim sua privata est, scilicet vocali. Nescit enim an legenda sit, Smart, Smert, Smirt, Smort aut Smurt. Nescit idem an una, duabus aut tribus syllabis pronuncianda sit, quia vocales inter sm, mr, & rt locum habent. Polonica Lingua amat quidem concursum consonantium, sed ex integra voce monosyllabica vocalem non abjiciunt.

Poloni olim Characterē Cyrulico usi sunt, quem Russi adhuc habent cum plerisque provinciis in vicinitate Hungariæ, Rascia, Bulgaria, &c. Unde affinitatis harum gentium & linguarum non improbabilia argumenta fluunt. Typographiam jam sub initium seculi XVI^{ti}, à Germanis seculo XV^{to} inventam, habuerunt, & sine dubio simul Characterem Latinum & Germanicum adoptaverunt. Anno 1506. Teste Clariss. Braunio in Bibliotheca Scriptorum Poloniae p. 1. ex officina Joann. Haller privilegium Constitutionum Poloniae prodiit, sed typis rudibus Gothicis, pro seculi more. Qui rudes Characteres usque ad annum 1524. duraverunt. Hoc anno enim

enim Cracoviæ publicata sunt Statuta, Decreta & Constitutiones Sigismundi I. adhuc dum typis Gothicis. Hinc & sine dubio Matthiæ de Mechovia Chronicon Poloniae A. 1511. Cracoviæ e Victoris typographia iisdem Characteribus antiquis lucem vidit. Paulo post vero, Anno 1527. idem liber statutorum literis latinioribus, ut Braunius scribit, prodiit. Latino & Germanico caractere indifferenter utuntur. Uterque tamen propter diversam literarum quarundam pronuntiationem multiplicandus erat. Id quod non novis elementorum figuris, ut in Cyrulico & Glagolitico alphabeto, sed lineolis & punctis ut plurimum in vertice cujusque fecerunt. Characteres Latinos omnes receperunt, exceptis literis q, & x, illam maluerunt per kvv, hanc per ks exprimere. Non omiserunt eas tanquam literas nullius usus in lingua sua, nam potuissent iis uti in vocibus e. c. kvvop (pluma), kvvas (fermentum): sed non retinuerunt eas, ne in ipsis e Latina mutuatis vocibus e. c. kvvartá, kvvintá. Forfan apud primum typographum in Polonia q. nondum in Alphabetum Germanicum irreperat.

Culturam linguæ Polonicæ Lexica majora pauca; Grammaticæ plures; Versionum & Poëmatum magna copia; aliorum vero Scriptorum immensus numerus testatur. Inter Lexica, aliaque Vocabularia, palmam præripit omnibus Thesaurus Polonicæ, Latinæ, Græcæque linguæ Gregorii Cnapii. S. I. Quod opus Anno 1621. Cracoviæ

coviae typis editum est. Continet Polonicae linguae genuinas voces, correctis erroribus omnium aliorum Dictionariorum. Utinam, addit Braunius p. 75. c. libro, tam laboriosae industriae operi indicem Latinum adjecisset, quod in prooemio promisit, ne solis Polonis facultate evolvendi facta, extraneis usus voluminis tanti negatus esset. Prodiit quidem hujus Thesauri Tomus II. in Quarto. Cracoviae An. 1626. quem Auctor loco indicis Tomi I. commendat: Sed quia Liber seorsim, & alia forma editus, quam ipse Thesaurus, qui in folio est, & paginas non expressit in allegationibus, quod in Indice fieri debuerat, potius novum Dictionarium edere voluisse censendus est, quod idem in praefatione hujus Tomi II. fateri videtur.

Non praetereunda est, pergit Braunius, Cnapii sapiens admonitio, quam in praefatione Tomi Imi Polonis suis inculcat, de vitando Macaronismo, seu mixtura Linguarum, Graecis & Romanis tantopere olim exosa, ut hi publice nunquam sine veniae praefatione verbum Graecum admiscerent. Quod vitium Polonis, sicut Germanis adharet.

Anno 1642. editum est Dictionarium Latino-Germanico-Polonicum, Germanico-Latinum, & Polono-Latino-Germanicum. Olim a Petro Dasypodio Argentorati Germanico-Latinum editum. Deinde in Academia

nia Coloniensi reformatum & auctum, sub titulo Dasypodius Catholicus, quem Jesuitæ Colonienses addiderunt, ne honor Dasypodio Evangelico in scholis Pontificiis integer servaretur. Fuit enim Dasypodius Professor in Academia Argentoratensi, & dictionarium composuit, non circa annum 1560. ut nonnulli putant, sed Auctor ipse in prologo editionis An. 1537. testatur hanc jam tertiam esse. Quamvis Dasypodii Lexicon Germanico-Latinum diu desierit in honore esse mansit tamen ei honor suus ob Polonica Vocabula, quæ Typographi Dantiscani Andreae Hunefeld cura in usum Polonico-Prussicarum Scholarum addita sunt

Non defuerunt viri docti, potissimum in Silesia qui in usum scholarum Grammaticam Polonicam conscripserunt. Inter primos fuit Jeremias Roterus Glogaviens. Collega Scholæ Vratisl. ad Div. Mar. Magd. qui ære ejusdem Typographi Dantiscani, qui Dasypodii Lexicon edidit, Andreae nimirum Hunefeld, Grammaticam Gedani edidit, Anno 1636. quam primam editionem Senatui Vratislaviensi dedicavit. Secunda secuta est An. 1646. Sub titulo: Clavis Linguae Polonicae & Germanicae. In prima Parte hujus libelli prima statim quaestio est: Quot sunt literæ in lingua Polonica. Respondetur: 23. & exprimentur earum 43. Sequitur paulo post Catechismus minor, e quo, & aliis libris, Orationem Dominicam, sicut in præcedentibus quibusdam programmatibus de

his Dialectis feci, contuli cum ea, quæ inter Andreae Mülleri versiones Orat. Dom. editionis Starkianæ est, & sequentia corrigenda inveni, pag. 52.

In precatione prima pro Svvicie imic, lege, Svvicé, sic imie. Litera e ubique in inferiore parte lineola obliqua notata, ad indicandum sonum literæ n, per nasum pronunciandæ.

In quarta pro nafs ego povv fsedni ego, lege syllabis indivisis: nassego povv fsedniego.

In quinta conjunge od pufc & lege odpu/c. & pro Ja Koymy od pufec zamo, lege, jako y my odpufeczamy.

In precatione 6. pro Ynie vv vvodz scribatur Y nie pro vvvodz.

In septima pro skego, lege, zlego & in ultimis verbis chvvata lege chvvala.

De apicibus & signis pronunciationis nil dicam deficientibus in nostra typographia hujusmodi typis.

Post Roterum alius Silesius nomine Matthias Gutthäter, polonice dictus Dobrązki, Præceptor Scholæ Polonicæ Vratislaviensis, edidit Grammaticam typis Joh. Seyffert. 8. Anno 1669. (ut in meo exemplari, nescio qua manu, numerus impressus calamo correctus est.) Hic Schottelium secutus vocabulis technicis in Germanica lingua noviter fictis, & antea incognitis usus est, quibus opus suum multis obscurum, duploque majus, scholæque suæ
sine

sine dubio molestum reddidit. Utuntur Roterus & Dobrätzki caractere Germanico in scribendis verbis Polonicis.

Anno 1760. prodiit impensis Bibliopolæ Posn. & Cracov. ctijsdam nummos Germanorum aucupantis, qui eo tempore in Polonia confluebant, sine alio auctoris nomine, Nova Regia Grammatica Polono-Germanica. Grammaticæ Roteri addidit tantum varios Dialogos, Proverbia, epistolas, & alia. In Rotero exscribendo caracterem Germanicum retinuit, in additamentis vero Latinum. Vocabularium quatuor linguarum ibidem vitiosissimum est; reliqua quoque quendam orthographiæ Germanicæ plane ignarum hominem auctorem habent.

Anno 1734. Georg Schlag, scholæ Polonicæ, quæ Vratislaviæ est moderator, Novam Grammaticam edidit, omnium optimam. In Polonicæ Linguæ scribendis vocibus caractere Latino utitur. Multas difficultates removit, unicam retinuit & auxit, Schottelismum nimirum novo modo propagare studet, & voces Latinas in re Grammatica tamdiu usitatas, aliis novis Germanicis a se ipso inventis permutat, quæ multis non possunt non esse molestæ. De aliis Grammaticis nil dicam, quales sunt

Ernesti Wegweiser zur Polnischen Sprache, 8.

B 2

Woyna

Woyna *Lust-Garten der Polnischen Sprache*, 12.

Compendium Linguæ Polonicæ, & Colloquia.
Nicolai Volkmar.

Enchiridion Polonicum cum Colloquiis, Proverbiis,
formulis titulorum, epistolis &c. Joh. Moneta
1720. 8. Gedani.

Andr. Blatavvski Informator, &c.

Cultura Linguæ Polonicæ per Versiones Veterum
Auctorum & Poetarum Latinorum, ut Virgilii, Ovidii,
Horatii &c. præcipua est. Lucani Pharsalia in Poloni-
cum carmen translata sunt à Joh. Adamo Bardzinsio,
typis Olivensis Monasterii impressa. Anno 1691.
Qui Polonicæ linguæ nativis elegantius delectantur, ver-
sionem hanc ad verbum, ad sensum, bene auctori suc-
cessisse fatebuntur, (inquit Bräunius) Verterunt etiam
quosdam Philosophorum Græcorum. Sebastianus Pe-
tricius Medic. Doct. vertit Aristotelem, hujus versionis
Pars An. 1605. Cracoviæ, typis Simonis Kempii, Pars al-
tera An. 1618. à Matth. Jedrzejovvczyk edita est. De
oratoribus Polonicis nil dicam, inter quos Orator Poli-
ticus Casimiri Joh. Woysnarovvitsch non ultimum lo-
cum tenet. Versionum etiam Biblicorum in Poloni-
cam linguam unicam tantum e Leuthingero ad annum
1563. referam. Hanc Pietas Alberti Ducis in Borussia
procuravit, cum inchoaretur concilium Tridentinum;
Idem

Idem auctor ad ann. 1568. scribit: Ut Augustana Confessio, Apologia & Articuli Smalcaldici vicinis quoque gentibus innotescerent, ecclesiisque, inprimis Polonicis, atque Lithuanicis suæ ditionis, forma perpetua essent, quibus in causa fidei tenaciter in hærerent, communitotius Ducatus suffragio atque congratulatione eam in Polonicam linguam transferri curavit & pastoribus paterne commendavit.

De additamentis ad hæc sex Programmata de Lingua Sclavonica non fui hucusque sollicitus fator, studio brevitatis id prohibente, unicum vellem me non omis-
sisse in Programme quarto Numero I. De Dialecto Sorabica. Nimirum, integræ Sacræ Scripturæ versionem. Anno 1728, prodiisse Budissin in 4. Cæterum scias, Benevole Lector! si Tibi in his historiolis non satisfacisse, me in iisdem mihi ipsi non satisfacisse.

Vale & conatus meos boni
consule.

In hoc Actu Mythologico
DE MERCURIO
 prodibunt & loquentur.

I.

- 1 *Mombart* Samuel Ludov. Phil. De Actus hujus scopo.
 March.
 2 *Harrer* Joh. Gottfr. Berl. - De Mercurii Patre.
 3 *Kannewurf* Christian Nicol. - De ejus Matre.
 4 *Haverland* Joh. Paul. Berl. De Mercurii avo materno
 5 *Berke* Carl Gottlieb Heger- De Mercurio ad ubera Junonis.
 mühl March.
 6 *de Luck* Frid. Wilh. - - De Mercuria Excellentia.

II.

- 7 *Lesmann* Christian. Ludw. Berl. De Mercurii Furtis.
 8 *Trautwein* Joh. Christian. Berl. De clam ablatiis sagittis Apollinis.
 9 *Schlicbring* Joh. Frider. Berl. De Furto apud Vulcanum com-
 missio.
 10 *Michaelis* Philip. Ludw. Beli- De Mercurio semper Juvene.
 zensf. M.
 11 *Nierbe* Joh. Gottl. Petzigenf. De Mercurio Mensurarum in-
 ventore.

III.

- 12 *Pech* Joh. Christian. Berl. - De alis Mercurii.
 13 *Coffe* Gottlieb Berl. - - Alas has adalligatas non adnatas
 esse probat.
 14 *Simon* Petr. Frid. N. Ruppin. Miratur Mercurii volatum & su-
 am imbecillitatem excusat.

Kna.

- 15 *Knoblach* Joh. Gottlieb. Swet. March. Explicat Fabulam de Palaestra Mercurii amica & cur Mercurius Cyllenius dicatur.
- 16 *Rein.* Joh. Christian. Mittenwald. M. Pronuntiat odam in Laudem Mercurii.
- 17 *Spahn* Joh. Christian. Königsb. March. Agit de Virtutibus quibusdam Oratoris.
- 18 *de Luck* Joh. Just. Phil. Berl. In iisdem recensendis pergit.

IV.

- 19 *Hayne* Frid. Ernst. Berl. - Loquitur de Declamatoribus.
- 20 *Schmidt* Ernst. Wilh. Berl. - De Eloquentia Ecclesiastica.
- 21 *Gäde* Gottlob Ernst. Frider. Steinhöfel Meso-March. De Sacrificio Lactis quod Mercurio fiebat.
- 22 *Drachbolz* Gottfrid. Frid. Zepern. March. De Sacrificio Mellis.
- 23 *Erdmann* Johan. Christoph. Berl. De Mercurio Planeta qui præterito mense discum solis percurrit.
- 24 *Grauer* Joh. Ludw. Berwald. De Mercurio Metallico.
- 25 *Melchert* Christian Frid. Berl. De eod. ad conficienda specula.

V.

- 26 *Kirstetter* Peter Christoph. Non ex quovis ligno Mercurium fieri asserit.
- 27 *Prenninger* Georg Matthäus Berl. Loquitur de Mercurio mortuorum animas reducente.
- 28 *de Ziegler* Victor. Christian. Berl. De Logica connubium Mercurii respuente.
- 29 *de Ziegler* Carl Wilhelm. Berl. De caduceo Mercurii.
- 30 *Rischke* Christian Heinrich Bayersdorf. M. De Mercurii caduceo signo Aca- demiarum in chartis Geographicis Gallia.
- 31 *Grell* Jacob Frid. Berl. Deaurium quadam prærogativa.
- 32 *Luck* Carl Ludw. Berl. Signi Mercurii Planetæ in hodierna tachygraphia originem monstrat, & paucis versiculis audit. gratias agit.

17. ...
18. ...
19. ...
20. ...
21. ...
22. ...
23. ...
24. ...
25. ...
26. ...
27. ...
28. ...
29. ...
30. ...
31. ...
32. ...
33. ...
34. ...
35. ...
36. ...
37. ...
38. ...
39. ...
40. ...
41. ...
42. ...
43. ...
44. ...
45. ...
46. ...
47. ...
48. ...
49. ...
50. ...

IV

51. ...
52. ...
53. ...
54. ...
55. ...
56. ...
57. ...
58. ...
59. ...
60. ...
61. ...
62. ...
63. ...
64. ...
65. ...
66. ...
67. ...
68. ...
69. ...
70. ...
71. ...
72. ...
73. ...
74. ...
75. ...
76. ...
77. ...
78. ...
79. ...
80. ...
81. ...
82. ...
83. ...
84. ...
85. ...
86. ...
87. ...
88. ...
89. ...
90. ...
91. ...
92. ...
93. ...
94. ...
95. ...
96. ...
97. ...
98. ...
99. ...
100. ...

(10)



3m 42



In 42

ULB Halle

003 313 719

3





Doubt. HISTORIAM
LINGUÆ SCLAVONICÆ

CONTINUATIONE QUINTA SIVE CAPITE SEXTO,

DE

LINGUA
POLONICA

FINIT ET SIMUL
AD ORATIUNCULAS

DIE NATALI GYMNASII BER-
LINENSIS CLXII

A JUVENTUTE SCHOLASTICA HABENDAS

HORA NONA SQ.

VII. DECEMBR. ANN. MDCCXXXVI.

REI SCHOLASTICÆ NOSTRÆ

PATRONOS ET FAUTORES

EA QUÆ PAR EST OBSERVANTIA

INVITAT

JOHANN. LEONHARD. FRISCH

RECTOR.

BEROLINI, apud CRISTOPH. GOTTLIEB NICOLAI. 1736.